

DE
VICARIA BVRGGRAVIATVS REGII DIGNITATE
REGEM ADESSE
EVINCENTE

QVAEDAM PRAEFATVS

FASCES BVRGGRAVIALES
A
SACRA REGIA MAIESTATE

VIRO

ILLVSTRI

MAGNIFICO GENEROSO
MAXIMEQVE STRENVO DOMINO

DOMINO

ANDR. THEODORO
BRAKENHAVSEN

PRAECONSVLI CIVITATIS GRAVISSIMO

MAECENATI OPTIMO

A. MDCCLXV. D. XIIX. MARTII

PRIMUM COLLATOS

VENERABVND A MENTE

GRATVLATVR

PVBLCVS MVSARVM INTERPRES

IOANNES LANGIVS

GYMN. RECT. P. P. ET BIBL.

ELBINGAE TYPIS NOHRMANNIANIS.

TERMINAL TYPIS NORMANNIANIS
IOANNES LANGIUS
PUBLIGS MARSARVM INTERPREES
A. MDCCLXX. D. XVII. MARTII
MAECENATI OPTIMO
PRAECONSULI CIVITATIS GRAVISSIMO
BRAKENHAVSEN
ANDR. THEODORO
DOMINO
MAXIMO STRENO DOMINO
MAGNifico GENEROSO
ILLUSTRI
VIRO
SACRA REGIA MAESTATE
FASCES BURGAVIALES
QUADAM PRATVS
EVINCENTE
REGEM ADRESS
VICARIA BURGAVIALES REGII DIGNITATE



Magistratum politicum, eumque christianum, qui salutem patriae supremam legem habet, & in promovenda civium felicitate, refrenanda malorum injuria ac bonorum securitate tuenda totus est, maximis, quae DEVS mortalibus exhibet, beneficiis annumerandum, totque venerationis ac pietatis testificationibus prosequendum esse, quot argumentis necessitatem illius ac utilitatem publica rerum humanarum arguit incolumitas, extra omnem dubitationis aleam positum est. Tristissima enim civitatis esset conditio, si sublato Magistratus Ordine, qui cum imperio aliis praesunt, existerent nulli; nulli, qui patriam laborum ac curarum consortio amplecterentur; nulli, qui utilitatibus publicis invigilantes, prudentia ac regnandi pericia cives foverent, regerent ac conservarent salvos. Rueret sane respublica, vel ipsa mole sua concussa, ad interitum, & nullis ad imperii gubernacula sedentibus, brevi tempore esset nulla.

Religio hinc christiana, veraque DEVM colendi ratio, splendidum Magistratus ambitum ac aditum non reprimat, quin potius certissima illi affert praesidia ac ornamenta. Ea quippe & doctrinae puritate & exemplorum copia nos convincit, sicuti Reges terris, ita & Magistratus civitatibus non forte casuque, sed a DEO manifesto ac praesenti institui; ea Patris Patriae dignitatem numine ac virtute sua ita munit, ut ad unius saepe jussu & voluntatem multa hominum millia, quorum invidiam ac impietatem ne fortissimus quidem reprimeret, sua componant dicta factaque; ea denique subditorum animos ad legum obedientiam & ad obsequium Superioribus, potestate pollentibus, exhibendum flectit.



Non ergo mirum est, Magistratui, cui prudentiae multum, multumque consilii inest, pereximia, quibus fulget, honoris ergo semper addita esse nomina. Ad Gerhardum, ^{a)} Matthiam Dichmarsum, ^{b)} Scharffium, ^{c)} a Seelen, ^{d)} aliosque eruditionis fama conspicuos provo, qui in colligendis, quibus Magistratus insignitur, nominibus non irritum susceperunt laborem, quorum alia divinitas, alia sanctitas, alia humanitas ac facilitas, ut amor, pietas & gaudium tulit, illis imposuit vere civilia ac senatoria. Ex eorum saltem numero, quae ob summam, qua prae aliis eminent, potestatem Magistratus obtinent, nonnulla recensere juvat. Audiunt Dominationes, ^{e)} aut si mavis, Domini, ^{f)} non ob tyrannidem invisi, sed mansuetudine ac lenitate temperata grati. Dicuntur Principes, ^{g)} primum dignitatis locum cives inter obtinentes. Vocantur Atheniensium stylo Archontes, ^{h)} imperium inter alios nacti. Nominantur Duces, ⁱ⁾ alios, quibus virtute ac consilio praesunt, in ancipiti recte factorum tramite legibus ac consiliis ducentes. Et dum Magistratus, laudum ac meritorum radiis fulgentes, coronarum etiam, quae Regum plerumque sunt insignia, Gestatores quondam sunt appellati: ^{k)} inde venit, ut, qui civitates gubernant, & auctoritatis ac potentiae splendore excellunt, Reges etiam sint dicti. Sic enim, teste Callepino, ^{l)} apud Romanos in principio rerum Italicarum illi Regum nomine venerunt, quibus unius saltem civitatis permissum fuit imperium.

a) in *Conf. catholica, de offic. Magistr.* L. II. P. 11. art. 8. c. 1. p. 926.

b) in *Syst. pol.* L. III. Sect. 1. p. 265 & 267.

c) in *Diff. de Magistr. pol.* §. 3.

d) in *Miscell.* n. IV. de praecip. nom. Mag. civilis.

e) 2 Pet. II, 10. add. *Cic. Attico.* Lib. 8. ep. 11.

f) *Cic. de legibus.* 3, 28. c. 12. *Apul. Met.* 7. p. 192.

g) vid. *Liv.* 34. c. 44 &c. *C. Nep. in vita Attici.* c. 8. *Hor. ep.* 17. v. 35.

h) conf. *Jo. Meursius de Archontibus Athen.* & *Cic. de fato.* 19. c. 9.

i) *Cic. de orat.* 3, 60. *Hor. I. od.* 7. v. 27.

k) vid. *Reinesii inscript.* Cl. VI. p. 112. 113.

l) in *Diction. linguae Lat.* voc. Rex.



imperium. Quodsi enim apud Terentium ^{m)} divitiis ac facultate potentes, & apud Senecam, ⁿ⁾ qui animo moderantur & affectibus imperant, secundum illud:

Rex est, qui metuit nihil,

Rex est, quique cupit nihil;

Hoc regnum sibi quisque dat,

vocantur Reges: quanto magis hoc augustale nomen illis competit, in quibus, tanquam publicae pacis ac incolumnitatis fulcris, omnis populi & civitatis fundata est salus.

Qua occasione in mentem mihi veniunt, quae apud Grotium de Rege temporario scripta leguntur. ^{o)} Indicat vero eo nomine felicissimus hic juris naturalis restaurator illum, cui vel certi negotii causa, vel ad tempus summum imperium ita delatum est, ut finito vel negotio vel tempore ipsius quoque Regia finiatur auctoritas, isque in illum, in quo ante adeptam vicariam dignitatem fuit, redeat statum; cuius rei testem in Dictatore Romano se invenisse credit. Huic quidem Grotii sententiae qui philosophantes omnia accurate perpendunt, calculum adjiciunt non omnes: ^{p)} quippe inter Regem, proprie sic dictum, & inter illum, qui summae potestatis vices gerit, non tempore tantum, sed ipso quoque instituto ac rei forma magnum datur discrimen. Rex enim in terris a nemine; Dictator vero Romanus, quanquam Rex vocatur temporarius, a populo dependebat, cui finita dictatura rationem actionum suarum dare saepius tenebatur: nedum quod Dictator e numero Magistratum tantummodo fuerit. Interim jam ipse Grotius in annotatis ad Matthaeum ^{q)} hunc scri-

m) *Eunuch.* A. I. Sc. 2. v. 87.

n) *Thyeste* v. 348. & v. 388.

o) *de J. B. & P.* c. III. §. II.

p) conf. Boeclerus in annot. ad hunc Grotii locum, ex edit. Beckmanni. p. m. 207. & Mich. Fuchsii diff. de Rege temporario.

q) c. X, 18.



pulum ex contradicentium animis evellere videtur, ¹⁾ dum Principes l. c., quos Lucas ^{s)} Reges vocat, non Reges tantum, sed & Praesides, & vicariam aut mandatam potestatem habentes indicare scribit, voce Regum laxius sumpta, cujus rei exemplum profert Pontium Pilatum, non Regem, cum Rege tamen Herode, Regis titulo ornatum. ^{t)}

Ad illustriora potius ac splendidiora Regiae dignitatis indicia meus se convertit calamus, ex *vicaria Burggraviatus Regii purpura*, *Regem adesse*, evicturus. Quae illustris Burggraviatus in Prussia Occidentali per civitates majores semper fuerit auctoritas, ad unum fere norunt omnes. Dum enim illius dignitas mutato rerum statu jam Regis CASIMIRI JAGELLONIDIS tempore, ut auctor est Hartknochius, ^{u)} in locum dignitatis Commendatoriae surrogata est, omnis insimul Commendatorum splendor, omnis potestas, quae, eodem Hartknochio affirmante, non exigua fuit, ^{w)} Burggraviis tradebatur Regiis. Quo quidem in officio illustri deferendo nulla unquam personarum prosapiae habita est ratio, nec nostris habetur temporibus. Quippe dum civitates in Prussia majores, ad Ordines Provinciae primarios pertinentes, in generalibus conventibus cum Consiliariis reliquis consultant, pari votorum aequilibrio gaudentes; ^{x)} ipsa in illarum Magistratum adoptio longe eminens, interque summa nunquam non est habita. ^{y)}

Huic vero annuae & ambulatoriae Burggraviatus dignitati eo plus honoris & auctoritatis accedit, quod a nullo nisi ab Ipsa SACRA REGIA MAIESTATE Poloniarum confertur. ^{z)} Mortuo enim

¹⁾ in *Crit. sacris*. T. VI. p. 706.

^{s)} l. c. XXII, 25.

^{t)} Act. IV, 26. 27.

^{u)} im *U. u. R. Pr.* P. II. c. 8. p. 629.

^{w)} l. c. p. 650.

^{x)} vid. *Lengnich de Jure publ. Pr. Pol.* §. 18. p. 34. §. 32. p. 56. §. 33. p. 57.
Hartknoch U. u. R. Pr. P. II. c. 8. p. 629.

^{y)} l. c. p. 663.

^{z)} *Cromeri Beschreib. des Königr. Pohlen*. L. II. p. m. 267.



enim Rege fascium Burggravialium collatio cessat omnis, usque dum viduatum Principis folium recens electus ac diademate ornatus occupat, & summa Majestatis exercet jura, quae inter, quod Prussiam attinet, haud ultimum est, ut, tanquam justus virtutum ac meritorum aestimator, brabeum illud Regium, dignitatum civicarum complementum, distribuat, declaraturus, Regem jam-jam adesse. Quo novus speciali Regis privilegio in civitatibus Prussiae majoribus constitutus Burggravius, postquam solemni jurejurando se obstrinxit, ex SERENISSIMI jussu & auctoritate jus dicit omne, dum tranquillitatis publicae conservandae curam gerit, & causas injuriarum ac sanguinarias inquit, aliaque cum jure vitae ac necis conjuncta exercet judicia vere Regia, ^{aa)} adeo ut veritatis talo nitatur illud;

Sic Reges sentimus adesse,
Quos & scimus abesse simul.

Quanti ergo intersit, quis AVGVSTISSIMI personam gerat, videt omnis. Non enim quemvis civium Regius ille decet honos, nec Regalis purpurae dignitas umbrarum caligine obscuranda est. Salomo sit, oculata mente praeditus, Atlas inclinatis patriae rebus succurrens, & Aristides tristes temporum calamitates prudentiae ac justitiae jubare propellens, qui ad tam alta, tamque excelsa Regiae dignitatis adspiret fastigia.

Quam egregie igitur, VIR ILLVSTRIS, Regia illa tiara, capiti TVO imposita fulget, quamque bene humeris TVIS novum fedet munus. Induis jam omnibus applaudentibus Regalem Burggraviatus purpuram, ex POTENTISSIMI REGIS, STANIS-LAI AVGVSTI, DOMINI NOSTRI LONGE CLEMENTISSIMI, feliciter nunc regnantis, indultu TIBI oblatam, quam summa per biennium auctoritate gestam serena fronte TIBI tradit aequi

^{aa)} vid. *Cronerus* l. c. L. II. *Harikn. de Republ. Pol.* P. II. c. IV. p. 362. add. *Chirikii Chron. Gedan.* L. II.



aequi iustique tenacissimus PRAECONSVL SENIOR, ILLVSTRIS MOELLERVS. Primus es, MAGNIFICE, ex AMPLISSIMI MAGISTRATVS Ordine, in quem OPTIMVS PRINCEPS, imperio Sauromatum suscepto, vicariam Regii Burggraviatus dignitatem devolvit, TVque primum Burggraviales fuscipis fasces, dignus utique jam diu tanto honore, tantaque virtutum corona. TVA enim praeclara jurisperitia in consulendo, limatum prudentiae TVAE mentisque acumen in judicando, indefessum TVVM iustitiae ac aequitatis studium in retribuendo, TVA denique celeritas, TVA vigilantia in exequendo, TVAque in agendo constantia est in animis ac memoria, est in deliciis & admiratione omnium. Quae dum tanta, tamque egregia sunt ornamenta, nullum est dubium, quin Nominis TVI splendor, tantis virtutum gemmis coruscans, ad seram posteritatem diffundatur, & TE, VIR GENEROSE, auxilio divino fretum, fama comitetur ac gloria nunquam marcescens.

Maecte ergo, ILLVSTRIS, ingenti TVO in Elbingensium Rempubicam merito, & omina inter secunda ac vota certantia honores adi Burggraviales. Servet DEVS T. O. M. TIBI, in excelso hoc dignitatis fastigio collocato, civitatem tranquillam ac florentem, TE vero civitati salvum & beatum. Servet TE, PRAECONSVL, curiae nostrae, cujus curas magno fortique nullo non tempore fuscipis animo, ut tempestates inposterum impendentes, procellasque irruentes fulgentibus sapientiae TVAE radiis quam fortunatissime depellere possis. Servet TE, in omni fortunae prosperitate & longaeva annorum aetate vigentem, Domui quoque TVAE Splendidissimae, ac TVAE TVORVMque felicitati addat perpetuitatem. Servet denique TE, MAECENAS, Musis Drusiacis, quae TIBI apprecantur non nisi auspiciatissima, & maximum sibi ducunt munimentum, mira incomparabilis TVI favoris ac bonitatis magnitudine regi, tegique.

